

torquere possit; hætenus Deus *in infernum demittere* homines non minus recte dicatur, quam cum alias Deum homines indurare, ipsaque damnatione æterna plectere, affirmamus. Scilicet hac ratione Deum *judicis* officio fungi, & intuitu antecedentium delictorum vindictam suam exercere, cognoscimus.

§. XLIII. Quanquam nec negandem sit, Deum pro diversitate subjectorum, ipsiusque prægustus damnationis, non solum ut *judicem*, verum etiam ut benignum *Patrem* agere. Quando enim homines pertinaciter impios & incredulos, quos ideo damnationi æternæ destinavit, jam in hac vita, & sub finem vitæ, prægustare damnationem, inque hoc statu morientes ad damnationem ipsam contendere jubet, certum est, Deum *justitia sua vindicativa* permotum, atque ad hanc insigniore exemplo declarandam, istud agere. Quando autem eos, qui hætenus *improbi* fuerunt; in terrores istos conjicit, cum adhuc tempus *resipiscentiæ* mediaque gratiæ, & gratia ipsa relicta sunt; præsertim, quando cordibus hoc modo contritis aut emollitis, conversio ipsa actu sequitur; *gratiæ* potius actus ille & castigatio magis, quam vindicta est. In primis vero, quando *Deus* homines *fideles*, sibi que dilectos luctam illam subire jubet, ubi & ipsorum fides & patientia exerceatur, ipsique cognita sua infirmitate, ad humilitatem majorem, ad preces ardentiores, ad diligentio rem a peccatis abstinentiam; liberati etiam isthac adversitate, ad Deum intensius amandum & glorificandum; ad ædificandos alios, & impensius desiderandam vitam æternam perducantur: *patris* potius benevoli illa actio est, quam severi *judicis*: Quo accedit quod & illam afflictionis tolerantiam peculiaribus præmiis remunerari, & post prægustum damnationis æternam gloriam donare Deus solet.

§. XLIV. Hætenus de prægustu damnationis æternæ fere populari modo, & quantum ad rem ipsam attinet, differuimus. Nunc qua ratione ea terminis Scholæ comprehendi, & juxta genera *causarum* cæteraque, quæ ad *ἀκρόασις* Academicam Theologiæ pertinent, tradi possit, paucis dispiciemus.

§. XLV. *Causam Efficientem principalem*, Deum esse dicimus; physicam quidem, in respectu ad actus agnitionis peccatorum & iræ suæ, terrorumque ac dolorum illorum, quos ipse per Verbum Legis in cordibus peccatorum excitat. Respectu eorum

rum